



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia
à S.P.N. Francisco institutus**

Pauck, Engelbert

Coloniae, 1720

Num. 94. De communicatione Privilegiorum, Gratiarum, & Indulgentiarum
3. Ordinum S. P. Francisci, & Tertiariorum in Sæculo viventium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

Romæ, & approbato, pro anno 1717. additur: *Dommodo orent brachiis extentis*. Cùm autem Summi Pontifices substantiam precum dicendarum, & non modum orandi extenderint; non videntur ex hoc sine irrita Indulgentiæ futuræ, si dicta extensio brachiorum omitteretur; aut, si preces præscriptæ legentur absque brachiis extentis; præsertim, cùm recentiores Pontifices de ista brachiorum extensione mentionem non faciant. Nihilominus homines rudes & simpliciores relinquendi sunt in sua simplicitate.

CAPUT XXII.

De Communicatione Privilegiorum, Gratiarum, & Indulgentiarum Trium Ordinum S. P. Francisci, & Tertiariorum in Sæculo viventium.

XCIV. **S**ixtus IV. Summus Pontifex ad perpetuam rei memoriam edidit Bullam quæ incipit: *Regimini Universalis Ecclesiæ*, & habetur ad extensum in monumentis Ordinum. Parte 1. fol. 139. data Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini 1474. Pridie Kalendas Sept. Pontificatus sui anno 4to. Ex qua conscribo Clausulam concernentem. Nos igitur; qui dicti Ordinis Fratrum Minorum (in quo Generalis Ministri fungebamur officio, dum ad Cardinalatus honorem assumpti fuimus) Personarum ejus Statum prosperum, & tranquillum propter uberes fructus, quos Ordo ipse (multâ refulgens gloriâ meritorum, & gratiâ redolens sanctitatis, in agro Ecclesiæ militantis, in propagatione Religionis & Fidei Orthodoxæ hæctenus produxit utiliter & producet, ac in futurum etiam producturum spe firmâ tenemus; palmites suos à mari usque ad mare & etiam ad barbaras extendens nationes. &c. intensis desideramus effectibus; *Clementis, & Eugenii* prædicto-

rum, ac aliorum Prædecessorum nostrorum [qui Ordinem prædictum Fratrum Minorum aliis variis privilegiis non immeritò decorârunt] vestigiis inhærentes; motu proprio, non ad eorundem dicti Ordinis Fratrum Minorum, vel alterius [pro eis] nobis super hoc oblata petitionis instantiam; sed de nostra mera voluntate & deliberatione, & ex certa nostra scientia, prædictas *Clementis*; & alias quorumcunque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum litteras dicto Ordini Fratrum Minorum, & illius domibus in genere, sub quacunque verborum forma concessas, quas, ac si de verbo ad verbum unâ cum prædictis literis, Eugenii Prædecessoris præfati, præsentibus insertæ forent, volumus pro expressis; ac omnia, & singula in illis contenta, Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus; ac pro potiori cautela, omnia & Singula per *Clementem & Eugenium* aliòsque Prædecessores prædictos, in eisdem literis in favorem dicti Ordinis Fratrum Minorum, quomodolibet ordinata, statuta, ac decreta, concessa, ac indulta fieri, ac servari debere; Auctoritate, motu, & scientiâ prædictorum de novo ordinamus, statuimus, atque decernimus, & eidem Ordini Minorum, illiusque Domibus concedimus & indulgemus.

XCIV. **S**ixtus IV. in alia Bulla quæ incipit: *Sacri Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordines*. Data Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1479. 7imo Kalendas Augusti Pontificatus sui anno 8vo. Et habetur in iisdem monumentis Ordinum. Ubi fol. 148. inserit hanc clausulam. *Motu & scientiâ propria* statuimus, ut Monasteria, Loca Ordinis S. Clare, eorumque Abbatissæ, Priorissæ, Procuratores Syndici, oblato, sub cura Ordinis Fratrum